

1741.

1. Benecke, Georg Wilhelm Lüder: *De vero hereditatis petitio-  
niis ~~et~~ objecto servantes excludende.*
2. Meiss, Christianus Fidus: *De jure fodiinariis.*
3. Müller, Joh. Bernhard: *De invaliditate actuum  
voluntariae jurisdictionis in perio Diuinis cele-  
bratorum.*
4. Rags, Dr. Hartmann: *De reprobatione datus et illa-  
torum.*
5. Vloemmen, H. S.: *De iustitia universalis et par-  
ticulari ejusque subdivisione et usu.*
6. Vloemmen, Stephan Siegm: *De jure successiones  
tem cuncti ab intestato quam fundati. Lineali hujusque  
origine.*

1742.

1. Belsor, Dr. Christophorus: *De responsis prudentiarum  
ad fiducijs. De juri. nat. genit. et. cuncti.*

1. Sonnenberg, Henric. Christianus : De iuri prudentia certa methodo tractanda.
3. Sonnenberg, Henric. Christianus : De fontibus iuris Romanis protermissa ad Pomponium.
4. Sonnenberg, Henric. Christianus : De servorum condicione
5. Sonnenberg, Henric. Christianus : De legibus gentis Bavariae
6. Sonnenberg, Henric. Christianus : De ordinibus exercituum Germanicis.
7. Shuter, James : De exceptione non numerata pecuniae non privilegiata.
8. Wagner, Franciscus Antonius : De testimonia invalido, ex conventione litigantium convalescente
9. Wloclawen, Sept. Sigism : De aestimatione praesorum iuratae mercatorum

1743.

1. Lybe, Hieron. Hartig: De interpretatione legati ad prias causas in formula dubia.
2. Hase, Dr. Bernh. Christianus: De restitutione in iure legum adverso sententias summius imperii dictariorum remedium ordinario.
3. Hoffmann, Wilhelm Christianus: De salvatione mercantili.
4. Klotz, Dr. Henricus: De fundo ac dñe*c*o*m*is*o*
5. Senckenberg, Henricus Christianus: De jure observantiae ac consuetudinis in causis publicis privatis ve.
6. Senckenberg, Henricus Christianus: Delectus florum ex jurebus robitatibus Germanicis
7. Senckenberg, Henricus Christianus: Tres cogens et potestate parata Germanica ac Romana.

8. Snellenberg Henricus Christianus : De servorum conditione
9. Snellenberg Henricus Christianus : De historia et iure  
dictione Augusti Camerelis justicie.
10. Siegenus, Johannes : De testatorum potestate in lucis.  
Anningalia pactitia ac statutaria occasione statuta  
torum Francof. p. V. lit. 4. 5. 7.
11. West, Johannes Huberto : De revisione actionum.

Pr. 1. g. 1. num. 24.  
~~222~~

19

*1941,5*  
5

**DISQVISITIO ACADEMICA  
DE  
IVSTITIA  
VNIVERSALI ET PARTI-  
CVLARI EIVSQVE SVBDI-  
VISIONE ET VSV  
CONTRA  
COMMVNEM OPINIONEM  
HODIERNORVM  
IVRECONSULTORVM  
AVTORE  
ST. S. WLOEMEN,  
DOCTORE ET ADVOCATO ORDINARIO  
IN VSVM AUDITORII SVI  
NEMINI PRAEVDICIALEM IVXTA ARISTOTELIS  
NOTIONEM IN LVCEM REDVCTA.**


---

GISSAE, TYPIS EB. H. LAMMERS, ACAD. TYPOG.



KÖN.FRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

1711



## DISQVISITIO ACADEMICA

*De iustitia vniuersali & particulari, eius subdivisione  
& vsu,*

### §. I.

Vstitiam ab Aristotele a) diuidi in vniuersalem & particularem, hanc in commutatiuam & distributiuam, commutatiuam in arithmeticam, distributiuam in Geometricam, inter omnes ICtos ita notum est, vt nullum quasi systema, nullus ICiulis Commentarius sit, quo haec diuisio non reperiatur expressa, licet a multis reiecta, a non nullis vero, iuxta Philosophi intentionem penitus non applicata reperiatur,

### §. II.

Vt itaque Aristotelis sententia contra tot diuer-  
fas haec tenus in lucem proditas opinones vindicetur,  
simulque vsus Aristotelicae diuisio restituatur, dum  
vniuersi juris Quæstiones selectas in collegiis disputare  
proposui, operaे pretium duxi, hanc materiam, meo  
calculo nemini praejudiciali, in lucem reducere.

A 2

### §. III.

a) Lib. 5, ad Nicomach. c. 3.

## §. III.

Ne autem actum committere videar, primo loco, ut Aristoteles iustitiam definiuit, in medium profero, quo deinceps de re ipsa eo securius indicari possit. Definitio ergo haec est. *Iustitia est virtus, quae in eo consistit, ut in nostris actionibus erga alios simus iusti, & sic iustitia est habitus iuste agendi.*

## §. IV.

Hanc iustitiam diuidit in vniuersalem & particularem: Priorem vocat, quae spectatur in omnium hominum actionibus, quatenus respiciunt alios; particularem vero vocat, quae versatur circa actiones istas, quae hunc vel illum in specie respiciunt.

## §. V.

Cum ergo scholastici sensum huius divisionis non intellexerint, sed putauerint, Aristotelem intelligere per Iustitiam vniuersalem, complexum omnium virtutum, eo deuentum, vt & ICti nostri hanc opinionem & inde quod finis Iurisprudentiae nostrae, sit iustitia vniuersalis, non solum particularis, quasi omnes amplexi fuerint, alii autem in primis nouiores, qui ab Aristotele receperint, Diuisionem in lenitate praescriptam penitus recerint.

## §. VI.

Quemadmodum autem Aristoteles per vniuersalem iustitiam, separatam a particulari statuit virtutem, ita eo magis inde patet, quod sub vniuersali particularem intelligi nolit, quam si sub vniuersali particularem comprehendendi voluisset, vt esset vniuersalis complexus

plexus omnium virtutum, ipsi non opus fuisset, iustitiam vniuersalem per aliam virtutem definire.

## §. VI.

Constat interim vel ex definitione generali, vel etiam ex Domini Consiliari intimi Wolffii doctrina<sup>b)</sup> quod iustitia semper rem habeat cum aliis, non cum se. met ipsa, nisi iustum quis se fingere velit, tanquam personam extra se constitutam, seu a se ipso diuersam. Adeoque iustitia vniuersalis est consideranda, quatenus extra se agit, & alios, quibus iustitia administranda, respicit, non semet ipsam, ut adeoque dicere debeamus, iustum in executione honesti, non tam se, quam alios respicere debere.

## §. VIII.

Hinc si quaereramus, quomodo respectum possimus habere in modo edendi, bibendi, &c. In genere in temperantia? Respondeo, hoc viisque procedere potest, nimirum in quantum temperantium exercens, aliis bonum exemplum porrigit, quo nonsolum discunt, quomodo virtus temperantiae sit exercenda, sed insimul ad illam virtutem excitantur. Exempla enim duplificem habent utilitatem. 1<sup>mo</sup> in docendo virtutem, 2<sup>do</sup> in excitatione ad illam.

## §. IX.

Quia ergo certo certissimum est, quod quilibet sit obligatus, ea omittere, quae tendunt ad imperfectiōnem alterius eiusque status<sup>c)</sup> ac multo magis illius fe-

A 3

licitatem

<sup>b)</sup> Philosophia præc. vniuersali p. 1. §. 241.

<sup>c)</sup> Wolff, Philos. pr. vniu. § 231.

licitatem pro viribus promouendi: hinc & vnuquisque est obligatus, alteri bonis exemplis subuenire.

§. X.

Si itaque omnes actiones meae, eum habent finem, ac v. gr. dico, nolo ineptiari, ne alii scandalum sumant ex meo exemplo & ad idem delictum seducantur, tunc justus sum in capiendo potu erga alios: nam hoc casu excito alios meo exemplo, & illos doceo, quomodo in capiendo potu se gerere, ac sic virtutem temperantiae exercere debeat,

§. XI.

Hoc autem pertinet ad iustitiam vniuersalem non ad temperantiam: Temperantia enim tantum requirit respectum ad me, non ad alios, in quantum autem alios respicio, sum iustus erga alios,

§. XII.

Proin facilis negotio iudicium fieri poterit, quid Aristoteles per iustitiam vniuersalem intelligi voluerit. Nimis notionem voluit dare iustitiae tanquam virtutis, quae actiones quoad alios moderatur, ne quis actionibus nostris laedatur. Vnde notio huic conuenienter iustitiam duidit in vniuersalem & particularem;

§. XIII.

Quis interim tam coecus est, qui non videat, illum iustitiae contrauenire, seu actum iniustum committere, qui suo exemplo alios a bono auocat, & ad malum dedit, & illos docet, quomodo malum sit patrandum. Anne quilibet eo, quod quisque sibi est obligatus ad bonum exemplum, ius nanciscitur, hoc a quo.

quolibet postulandi? Qui itaque huiusmodi exempla alteri debita omittit, ipsi ius aufert, qui alicui ius au fert, ipsum iniuria afficit, & sic laedendo alium, iniustus efficitur. Vnde patet, illum qui suo exemplo alium a bono seducit, iniuste agere, adeoque iniustum esse, insimulque hac seductione laesum, iustas querendi causas habere. Nedicam huiusmodi malis exemplis laesum, hoc alteri imputare, & reuera se inde laesum dicere. E contrario illum qui aliis bona exempla porrigit, licet interne pessimus esse possit, adeoque exakte bonus non sit, tamen externe, quia aliis materia querendi deficit, iuridice, quemadmodum etiam in iustitia particula ri sit, pro yniuersaliter iusto haberet.

§. XIV.

Quod attinet iustitiam particularēm, haec cum actionibus particularibus occupata est, quae alios sigillatim respiciunt, e. gr. si cui quid debeo, dicitur, solue quod debes, & solue debito tempore, qui ergo id agit, iustitiae particulari satisfecisse dicendus est.

§. XV.

Inde iustitia particularis dicitur virtus quae alteri tribuit ius suum in particulari: nam & ingenere iustitia definiri potest per virtutem, quae cuilibet tribuit ius suum. At si in particulari alicui ius suum tribuo, ut puta, si ipsi debitum soluo, haec actio ad iustitiam particula rem pertinet.

§. XVI.

Porro iustitia yniuersalis ex Ethica, quae versatur circa virtutes, quae intuitu aliorum inducunt ius imper-

perfectum, iustitia particularis vero ex iuris prudentia, quae versatur circa ius perfectum, fundamentum querit. Vnde etiam a quibusdam iustitia vniuersalis repetitur definita per virtutem, quae vnicuique reddit ius suum imperfectum, & iustitia particularis, per virtutem quae vnicuique reddit ius suum perfectum, iniustitia vniuersalis per vitium, quo alteri ius suum imperfectum denegatur, iniustitia particularis, per vitium, quo alteri ius suum perfectum denegatur; quo ipse Vlpianus in §. 3. Inst. de iust. & iure respicit, quando haud dubie per praeceptum primum vniuersalem, per praeceptum secundum & tertium iustitiam particularem indigitare contendit.

## §. XVII.

Iam sequitur sub diuisio iustitiae particularis in commutatiuam & distributiuam. Hinc quae dicatur commutatiua, & quae dicatur distributiua; porro quid sit commutatio & quotuplex? ante omnia dicendum,

## §. XVIII.

Iustitia commutatiua dicitur *iustitia particularis*, quae tollit querelas ex commutationibus ortas. Commutatio dicitur *actus*, quo id quod erat meum, transfertur in alterum. e. gr. Si meum alteri vendo, alter illud acquirit, quod antea fuit meum, vnde emptio venditio pertinet ad commutationem. Si quis meum mihi clam auspert, res mea in illum transfertur, vnde & hic actus ad commutationem est referendus, si meum casu fortuito perdo, & alius inuenit, tum & hic id quod meum est accipit, consequenter non minus hoc commutationi accensendum.

## §. XIX.

§. XIX.

Nec imponi mihi poterit , me nouum quid hac doctrina excogitasse , siquidem ipsa experientia docet , hancce ideam in veritate esse fundatam , in primis cum sciamus , varios dari actus physicos , quibus alter acquirit quod alterius est , & quod philosopho licitum fuerit , rem voee arbitraria denominare , ut puta qui de rebus non ex Etymologia , sed ex eo , quod de rebus vel ab experientia vel ratione praedicandum , rationatur,

§. XX.

At ex dictis facile colligitur , commutationem esse vel spontaneam vel inuitam . Spontaneam fieri me consentiente , qualis est venditio , permutatio , donatio . Inuitam , dissentiente aut ad minimum non consentiente , qualis est , ablatio furtiva , detentio rei alienae inuentae &c.

§. XXI.

Vidimus quae sit iustitia commutativa : nimirum iustitia particularis , quae tollit querelas ex commutatione ortas , siue commutatio fit spontanea siue inuita . Sed si quaerimus , quomodo ex commutationibus querelae enasci possint ? quaelibet commutatio tam spontanea , quam inuita in specie debet considerari .

§. XXII.

Nimirum variae possibles sunt circumstantiae , in quibus etiam ratione commutationis spontaneae , (ni mixturam velis concedere ) querelae oriuntur , e. gr . Titius minus pro re mihi dedit , quam verum ipsius pre-

B tium

tium est, quia v. gr. rei pretium nesciui. Si hoc factum, actus mihi displaceat, inde querimoniam desuper instituo, & sic Querelae oriuntur ex commutatione, licet spontanea, eodem modo, si venditor emptorem in pretio laedit, emtori id displaceat, & inde actionem contra venditorem instituit, quod praxis forensis toto die ostendit. Licet hae querelae non semper sint iustae, nam saepius sunt erroneae, saepe illis refragatur lex ciuilis.

## §. XXIII.

In commutatione iniusta, res omni difficultate caret, quod inde querelae oriuntur: Nam quis aequo animo furtum rei suae ferre vellet, quis est, qui res a se furtive ablatas non vindicare cupiat? Ita est etiam in casu, quo alicuius iura laeduntur, quod in omnibus iniuriis contingit: nam hic abstrahimus ab omni moralitate, & non inquirimus utrum querelae sint iustae vel non, sed tantum utrum oriuntur? & si quaerimus, quid hic iustitia commutativa operetur? Et virtus, quae cuiilibet suum tribuit, nec solum restituit damnum datum, sed simul vindicat iniuriam illatam. Vnde iustitia commutativa nihil aliud vult, quam, quod quilibet in eum reduci debeat statum, ut iure non habeat querelam contra alterum, & ut in casu dato, querelae tollantur.

## §. XXIV.

Cognito genuino sensu Aristotelis de iustitia commutativa, facilis negotio de huius vnu iudicari poterit. Ergo

d) I. z. c. de rescind. vendit.

go superest, ut de iustitia distributiva pauca moneam.  
Haec iuxta mentem philosophi ita definitur, quod sit iustitia particularis, quae tollit querelas ex communium divisione, inter partes alicuius communitatis ortas.

XXV,

Vt hanc definitionem intelligamus, notandum est, quae dicantur communia. Communia ea dicuntur, quae ad plures simul spectant, nec sunt unius. e. gr. Si plures sunt Candidati Theologiae, omnes ad ministerium Ecclesiasticum sunt capaces, adeoque omnes merentur stationem vacantem huius vel illius loci; Promotio ad id officium est commune quid. Quando officium illud vacans restitui debet, unus tantum est, cui id conferendum, non omnes qui aptitudinem sine ius imperfectum ad illud habent, Ergo vnico, vt dicuut, contingit adire Corinthum, ex hoc oriuntur querelae. Iustitia distributiva in eo occupata est, ne huiusmodi querelae sint iustae, adeoque iustitiae huic in hoc casu conuenit, si officium hoc modo per subiectum capax restituitur, ne reliqui querelam desuper mouere, iustum causam habeant.

§. XXVI,

Ad communia etiam pertinent onera, quae a ciuiibus in ciuitate praestantur, quando haec onera distribuuntur, querelae inde facile oriuntur. Iustitia autem distributiva hasce querelas tollere debet, quando distributione id agit, ne unus alterue ciuis pree reliquis preegraueretur. Adeoque iustitiae distributivae attributum est, vt remoueat iustas querelas circa diuisionem communium.

B 2

§. XXVII.

## §. XXVII.

Tandem Aristoteles indicauit , quomodo iustitia tam commutativa quam distributiva debeat administrari , & dixit , in iustitia commutativa obseruandam esse proportionem arithmeticam , in distributiva vero Geometricam . Cum ergo nec hic ICri intentionem Aristotelis haec tenus intellexerint , quoad iustitiam commutativam , quatenus in ea proportio seu aequitas arithmetic a obseruari debet , notandum suadeo , quod si nemo querelam contra alium , ratione rei suae mouere debeat , nemini plus iusto & nemini minus iusto , sed cuilibet tantum habere liceat , quantum ad illum iure pertinet : nam quamprimum unus plus aequo , alter minus aequo habet , ille qui minus aequo habet , iuste querelam instituit , quod suum sit penes alterum : si itaque hanc querelam cupiamus remetiri , ei qui plus aequo habet , hoc debet auferri & dari ei , qui minus aequo habet , vt inde res reducatur ad aequitatem , consequenter nulli iusta causa querendi supersit : Adeoque aequitas Arithmetic a requirit , ut res proportionentur quoad differentiam : Nam si quaero , quantum unus plus aequo , alter minus habeat , sci re debeo , quantum vbi sit subtrahendum , & alteri addendum , ut inde res ad numerum rotundum veniat , si hoc fit , quereis obex est posita : Etenim , si alter habet , rotum id quod ad se pertinet , nulla querela ipsi superest . Ponamus casum ex commutatione spontanea . Si Titius a Mevio librum emisset pro Imperiali , cuius valor esset non pluris quam unius floreni , emtor minus , venditor plus aequo haberet ; emtor namque ante Imperialem

\*) 13 (\*)

perialem habuit , nunc tantum librum cuius pretium florenum non excedit . Hinc merito querelam mouer , alterum i. e. Meium dimidium floreni a se plus aequo habere , si quaeris , quomodo hoc ad aequitatem reducendum ? & Valor libri non excedit florenum , pretium autem quod venditor pro libro accepit , consistit in uno florenō & 30. crucigeris , differentia vero inter florenum & florenum & 30. crucigeros , est in modo dictis crucigeris , ergo florenus a floreno & 30. crucigeris subtrahendus , manebunt 30. crucigeri , qui excedunt florenum , & sic plus aequo a venditore tenentur , quapropter si hi 30. crucigeri emtori restituuntur , contenatio est finita . Eodem modo res se habet in commutatione iniuta : Nam si e. gr. Titius Sempronio contra suam voluntatem 2. florenos abstulit , Titius 2. florenos plus aequo habet , quibus Sempronius inique caret . Si itaque hancce differentiam ad aequalitatem reducere velis , statim vides , Sempronium nihil habere , Titium omne quod ad Sempronium pertinet , adeo quod differentia est in toto , quod ergo illi , cui est ablatum , est restituendum .

### §. XXVIII.

Restat nunc ut etiam ostendam , quid voluerit Aristoteles , vbi in iustitia distributiuā proportionē Geometricam obseruandam esse inculcat . Constat Iusticiam distributiuā vel maxime versari circa ius imperfectum , hoc vero admittit gradus atque adeo communium distributio fieri deber gradibus istis proportionaliter , ita ut secundo gradui respondeat duplum ,

B 3

tri-

triplum, quadruplum. Quod ut intelligatur, non minus exemplis est declarandum.

§. XXIX.

Supra (§. 25.) dixi, inter communia etiam referri munera. Munera non omnia ynius sunt bonitatis: munus namq; unum, altero honore & prouentibus praecualet. Illi qui ad Manus aliquod se habilitarunt, ius etiam habent, in ciuitate talia munera petendi, imo iure imperfecto istis debetur istiusmodi munus. Nimirum communitas est obligata ad talia munera, quantum ius imperfetum permittit, illos admittendi. Habiliori itaque munus magis proficuum est conferendum, quam tali qui minus habilis est ad tale subeundum; ynde si hic illi praefertur, & inhabiliori aut optimum aut solidius munus, habiliori vero deterius vel nullum conferatur, dicitur quod bonitas muneris non sit proportionata cum meritis illius, in quem munus est collatum, consequenter hoc contrariatur iustitiae distributioniae. Vti monui, ad hanc iustitiam quoque pertinent onera. Ciues propterea sunt obligati ad contributionem onerum, quia pree aliis extra ciuitatem constitutis, hanc praerogatiuam habent, vt in ciuitate vivant iuribusque & emolumentis ciuitatis fruantur. Quo opulentior ergo quis est, eo maiorem utilitatem ius ciuitatis illi affert, dum occasionem ipsi tribuit, nonsolum suis bonis lucrum querendi, sed etiam parta conseruandi; ynde etiam aequitati conuenit, vt pro quantitate emolumenti proportionaliter ad conseruationem ciuitatis plus contribuat, quam ille qui tantis opu-

opulentiis destituitur, adeoque ex ciuitate tantum iu-  
erum percipere nequit. Proportionanda itaque sunt  
opibus quae possidentur vel acquiruntur, onera.

S. XXX.

Quatenus ergo in distributione onerum gradus  
debent obseruari, vt nimirum quantitas distributionis  
respondeat certis gradibus, nullum dubium est, quin  
haec proportio, vti mathematici vocant, sit geometri-  
ca: nam si quis duplo plus in bonis habet altero,  
iuxta iustitiam distributiam opus est, vt duplum con-  
tribuat de suis facultatibus, alter simplum; Etenim, si  
ponamus, alterum duplum in bonis habere, alterum  
simplum, & qui simplum possidet, tantum contribu-  
ere debere, quantum contribuit ille, qui habet duplum,  
iustum pauperior causam habebit querendi: dum autem  
iustitia distributiva tollere debet querelas ex communi-  
um diuisione inter partes alicuius communitatis ortas,  
semper proportio geometrica obseruari debet.

S. XXXI.

Hicce demonstratis, ex re ipsa utilitas huius do-  
ctrinae Aristotelicae abunde patet: Nam siue respicia-  
mus iustitiam yniuersalem, siue utramque speciem iusti-  
tiae particularis, utraque in considerationem venire  
debet, nisi intuitu aliorum quis iniustus vocari velit.  
Omnes enim homines qui sese student praestare ceteris  
animalibus, quantum attinet iustitiam yniuersalem,  
summa ope niti decet, ne aliis malo exemplo sint, &  
scandalum ipsis praebeant, quia iis incumbat, se iniui-  
cem ad virtutem excitare sive docere, quomodo vir-  
tus sit amplectenda.

S. XXXII.

## §. XXXII.

Postquam igitur hoc in omnibus actionibus hominum requiritur, & in singulis actionibus iustitiam vniuersalem, praे oculis habere debemus, quo simul noua acquirimus motiva actionum intrinseci malarum omittendarum, vel intrinseci bonarum committendarum. e)

## §. XXXIII.

In administratione iustitiae particularis, tantum negotium nobis est, aut cum rebus singulorum, aut cum communib[us]. Si itaque scire cupimus, quid iuris sit circa res singulorum, iustitiam commutatiuam adhibere debemus, si autem iusti esse velimus circa communia, iustitia distributiuam obseruanda erit. Illi igitur qui iura profitentur, administrare debent, tam iustitiam vniuersalem, quam particularem, quod fieri non potest, nisi conceptum de utraque iustitia habeant,

## §. XXXIV.

Coronidis loco videndum, cur ICti hactenus ab hac idea recesserint, & num rationem sufficientem hauberint! Quod primum attinet, putauerunt, quod particolare sub vniuersali lateat. Sed licet hoc verum sit, Aristoteles tamen separare voluit a se inuicem aequitatem & iustitiam i. e. iustitiam perfectam & iustitiam imperfectam, vt ostenderet, iustitiam perfectam seu particularem coniunctam esse cum iure cogendi alterum

si

e) Consil. int. Wolff philosophia practica vniuersali part. priore §. 127. & 128.

Si obligationi suae satisfacere noluerit, iustitiam vero imperfectam seu vniuersalem, non esse coniunctam cum iure cogendi, vbi alter obligationi satisfacere denegat, secundo docuit, iustitiam particularem tantum singulos, vniuersalem vero omnes simul respicere, quamvis alio respectu & iustitia particularis, quatenus moralitati conuenit, ad iustitiam vniuersalem referri possit. Quemadmodum autem iustitia particularis solum est obiectum fori, sic etiam haec iustitia, non vniuersalis, est obiectum iurisprudentiae ciuilis, ut pote quae necessitatem obligationis infert, & ius dat exigendi ac cogendi. Interim iustitia vniuersalis, licet in Ethica virtutes doceantur, tamen proprie non ad Ethicam sed ad iurisprudentiam naturalem pertinet, siquidem Ethica non docet ius, sed virtutes quomodo exercendae. Enimuero, quia ius imperfectum non minus verum est ius, quam quodecumque aliud, cum in illud quadret definitio iuris, vi cuius ius est facultas agendi, quod moraliter possibile est, & non agendi, quod moraliter impossibile est,

nimirum iure agimus, si quod moraliter possibile est agimus: nullo autem agimus iure, si moraliter impossibile agimus,

hinc negandum non est, quin etiam ius vniuersale pertineat ad iurisprudentiam.

#### J. XXXIV.

Deinde quoad diuisiōnē iustitiae particularis in commutatiūm & distributiūm, putauerunt, quod Aristoteles iustitiam expletīcē nimis arcto vocabulo dixerit commutatiūm, & hoc modo ex praeiudicio seculi,

C

culi,

culi, vbi putauerunt verba in se aliquid denotare, se fundant in Etymologia rei; At iam supra dixi, quod non deceat philosophum ratiocinari de rebus ex Etymologia, sed ex notionibus ad Etymologiam. Vnde parum refert, an vocabulam nimis arctum, an vero nimis latum sit, sed sufficit scire, quid philosophus per vocabulum intellexerit,

### §. XXXV.

Interim nec vocabula Aristotelis nimis arcta sunt, si modo intelligamus, quid sit commutatio. Cum ergo commutatio non habeat eum significatum, quem olim ex doctrina Aristotelis collegerunt, ut nimis idem sit, ac alicui aliquid cominodare, seu alicui aliquid dare, & vicissim ab eo aliquid auferre, vt adeoque sartum cum hoc non conueniat, sed vti iam supra (§. 18.) definiui, *sit actus, quo id quod erat meum, transfertur in aliud*: facile intelligimus, vocabulum commutare, hoc sensu, non esse nimis arctum. Et cum nulla penitus ratio solida inueniatur, cur vocabulum *distributiu*a debat mutari, iure merito huic vocabulo, tanquam termino artis, eo magis subscribimus, quo certius illud rem ipsam optime exprimit.

### §. XXXVI.

Sunt quidam qui integrum hanc divisionem impugnant, & dicunt, in iustitia commutativa non semper obseruari proportionem arithmeticam, nec in iustitia distributiva semper obseruari proportionem geometricam, adeoque putant hanc divisionem ex eorum genere esse, quae saepe locum habent, non semper. Si autem

tem rem consideramus , vt eam supra explicauit , fa-  
cile contrarium apparebit , quod nimurum non semper  
in commutationibus aequalitas sit obseruanda , vt vnuſ  
tantum habeat , quantum alter , ac eodem modo res se  
habet in iustitia distributiva cum proportione geome-  
trica : Nam quod inter alios proponit Hugo Grotius f)  
\*) contractum societatis expleri proportione compara-  
ta seu geometrica . Et si 2do vnuſ tantum aptus inue-  
niatur ad munus publicum , tamen non alia quam sim-  
plici commensione attributionem fieri , concedo qui-  
dem quoad primam instantiam , in contractu societatis  
lucrum & damnum diuidi geometrica , nempe in ra-  
tione collationis : praeſertim , cum in Arithmetica ha-  
beamus regulam societatis , iuxta quam lucrum &  
damnum quod inter socios distribuendum , computatur ,  
vbi dicimus , qui duplum contulit ad societatem , duplum  
lucri accipit & duplum damni , sed hoc superioribus  
non contradicit : nam secundum iustitiam commutati-  
vam non quaeritur , quomodo lucrum & damnum sit  
proportionandum , sed solum , quantum quisque habe-  
re debeat , ne iuste querelam mouere possit , vt adeo-  
que quaestio quomodo lucrum & damnum sit propor-  
tionandum : iustitia geometrica decidatur , v. gr. duo ha-  
bent societatem , vnuſ 10000. flor. habet in negotio , al-  
ter 20000. , post in calculum reducitur , quod quisque  
sociorum habere debeat , alter diceret , se audiuisse , so-  
ciatem esse fraternitatem , adeoque cuique aequale

C 2 lucrum

f) de iure R. & P. L. I. c. §. 8. n. 2.

lucrum tribuendum, tum alter utique querelas iuste moueret, non propterea quod iustitia geometrica obseruetur, sed propterea, quia alter ipsi minus dare decreuit, quam iure praetendit: Hinc supponimus, quod distribuatur secundum proportionem geometricam, qui duplum dedit, duplum debet accipere: qui 20000. fl. habet in negotio, 800. & alter, qui 10000. in negotium contulit, 400. accipiet. Si autem illi cui 800. sunt soluenda, tantum 600. soluuntur, necessario alterum in 200. fl. sibi habet debitorem, vnde querelam mouet, & dicit tantum sibi non esse solutum, quantum iure solui debuisse: Hoc casu iuxta iustitiam commutatiuam res ita est decidenda; vt ei auferatur, qui plus aequo habet, & detur illi qui minus aequo habet, qua praeuia querela cessat, consequenter allegatus autor & qui cum eo faciunt, in neglecta attentione ad ius alteri competens, & quaestione, quid faciendum, si alterius ius laedatur? errant. g)

## f. XXXVII.

Nec alio modo secunda obiectio se habet, neque enim omnis detractio & additio, est proportionis arithmeticæ, sed quando per illam detractionem & additionem duo inaequalia ad idem medium rediguntur, vt numero vel quantitate aequalia fiant. In casibus igitur istius-

g) vid. Arist. V. Eth. V. Pol. I. & VII. Eudem. 16. V. Eth. 10. vbi aquale secundum proportionem arithmeticam vocat numero aequalē IIX. Eth. 9. pr. vbi nominat aequalē sec. quantitatem. Et III. Pol. 9. vbi appellat hanc aequalitatem *ἴσοτηλα τῆς πράγματος* aequalitatem rei. Dnois Conf. Cramer program: partes aequales in lucro & danno lociorum expectandas explic. pag. 10. & 11.

istiusmodi, explorato iusto, iuxta proportionem geometricam, illud, quod est praeter hanc proportionem, detrahitur, & alteri, cui deest, adiicitur, & tunc inaequalia sunt aequalia, non arithmeticè seu numero, sed geometrice & sub tali respectu, ut 2do gradui respondeat duplum, triplum, quadruplum &c. b)

## §. XXXVIII.

Porro obliicere solent, commutationem non semper versari circa res singulorum, nec distributiuam versari semper circa res communes. Sed id quod dicunt, non probant, multo minus instantiae solitae relevant: Nam quando per instantiam ponunt, quod in casu, si quis de re sua legare velit, distributua iustitia sit applicanda, cum tamen hic non diuidantur res communes, sed singulorum. Adeoque putant, distributiuam hic versari circa rem singularem, consequenter dari probatum, quod iustitia distributua etiam subinde versetur circa res singulares. Id sub notatione vocum ab Aristotele prolatarum facile refellitur.

## §. XXXIX.

Vt ergo hanc instantiam eo melius dijudicemus imprimis dicendum est, quid Aristoteles intelligat, per res singulares, & quid velit per res communes. Vbi notamus, Aristotelem per res communes intelligere eas, ad quas pluribus ius aliquod est, vbi non quidem præcise & semper ius unius modi requiritur, sed quando plures simul ius ad rem vel in re habent, illa res vocatur communis, vti contingit in ciuitate, ibi plures, qui

C 3

habiles

b) vid. l. 7. §. 15. ff. soluto maritimo

habiles sunt, ius habent ad vnum idemque munus publicum, licet hoc ius sit imperfectum, vnde & munera vocantur res communes totius ciuitatis. Ita etiam in societate, singuli socii ius habent, ad lucrum & damnum commune, et si hoc ultimum nihil emolumenti secum ferat: nam non omnia iura sunt lucrosa, quapropter & lucrum & damnum communia vocantur. Res vero singularum dicuntur in oppositione ad res communes, ad quas vni competit ius quod alteri non competit, sive competere potest. Quale ius v. gr. est dominium, qui enim Dominus rei est, eius modo res est, vt nemo tale ius Dominii in illa re habeat, & de re mea possum disponere pro lubitu, adeo vt nullus sit, qui hac facultate iure vti possit, nisi me in iure meo laedere velit. Si itaque casum praepositum legatorum consideramus: quaestio haec mouetur, an distributio legatorum ad iustitiam commutatiuam, an distributiuam pertineat? & putant pertinere ad iustitiam distributiuam, non commutatiuam, licet locutio sit de re singulari; siquidem res quae legantur, & bona quae possidentur, & ex quibus legata relinqui debent, proprietatis iure ad eum pertinent, qui legata disponit, consequenter haec dispositio requirit distributionem, in qua iustitiam distributiuam versari dicunt circa res singularum. Sed si res quae legantur dupli modo sunt considerandae respectu legantis 1<sup>mo</sup> respectu legatariorum. Si consideramus rem, de qua legatur, tanquam rem legantis, utique haec res pertinet ad res singularum: Nam ille qui legat, proprio dominus rei esse debet; E contrario, si res legatas considero respectu legatariorum, tum habentur

bentur tanquam res communes inter plures diuidendae;  
nimirum si quis in modo legandi iustus esse vult, ille,  
qui legatur, ius imperfectum ad legatum habere debet,  
& intantum, in quantum legatarii ad sibi legandum  
aptitudinem habent, res legata venit sub nomine rei  
communis inter plures diuidendae.

## §. XXXIX.

Sed verum non est, quod testator rem diuidat,  
quaes est singulorum, cum res diuidenda hic considere-  
tur tanquam communis: quod idem ex hoc patet, quia  
ille qui non habet, quod iuste leget, & per legatum  
haeredes laedit, per id peccat, in tantum, ut extra ius  
imperfectum, ipsae leges ciuiles, potestatem legandi, ne  
sui haeredes inde laedantur, restrinxerint. b)

## §. XL.

Secundo dicunt, quod iustitia commutativa sub-  
inde versetur circa res communes. At vero haec ob-  
iectio plane nullius est momenti; nam quando putant,  
quod ciuitas, quae de communi reddit, quod ciuium  
quidam in Rem publicam impenderunt, non nisi iusti-  
tiae commutatiuae officio fungatur, admodum errant,  
quia debitum ciuitatis ciuibus quibusdam reddendum,  
hic non consideratur tanquam res communis, sed tan-  
quam res quae ad singulos pertinet: si enim ciuitas de-  
bet, hoc quod ciuitas a me mutuo accepit, non est ci-  
uitatis, nec ius habet in illud debitum, licet ciuitas sit  
obligata ut soluat ex eo, quod ipsius est; nec hic ad  
est

---

b) vid l, hac edicitali c, de sec; nupt,

est diuisio communij inter plures, nec vni redditur id, ad quod plures ius imperfectum habent, sed vnu id acquirit, ad quod ius habet perfectum; consequenter nec iustitia commutativa hic versatur circa res communes, sed circa res quae sunt singulorum, ne dicam, quod ciuitas si mutuo a me pecuniam accipit, non consideretur intuitu debiti tanquam ciuitas, sed tanquam persona singularis, proinde non potest dici, quod hie actus ad ciuitatem pertineat: nulla ergo hic adest distributio, quia ex aerario creditori soluitur, & non tali, qui cum aliis coniunctim ad debitum illud ius imperfectum habet, licet aliud obtineat in concursu creditorum l. 6. in fin. C, de bon. aut. iud. possid,

F I N I S.



**ULB Halle**  
005 376 092

3





B.I.G.

Black



Pr. I. g. T. num. 24.  
19  
1941,5  
15

DISQVISITIO ACADEMICA  
DE  
**IVSTITIA**  
**VNIVERSALI ET PARTI-**  
**CVLARI EIVSQVE SVBDI-**  
**VISIONE ET VSV**

CONTRA  
**COMMVNEM OPINIONEM**  
**HODIERNORVM**

**IVRECONSVLTORVM**  
AVTORE  
**ST. S. WLOEMEN,**  
DOCTORE ET ADVOCATO ORDINARIO  
*IN VSVM AUDITORII SVI*  
NEMINI PRAEVDICIALEM IVXTA ARISTOTELIS  
NOTIONEM IN LVCEM REDVCTA.

GISSAE, TYPIS EB. H. LAMMERS, ACAD. TYPOG.

KÖN.FRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE